

2

Vniuersis ac singulis ad quos hoc scriptum
perueniet, quic uel ipse hoc legent, uel legi ab alijs audient,
maximè uero Christianis Monarchis, Regibus, Sacri Romani
imperij Electoribus, ceterisq; Principibus, Potentatibus, Comitibus, Ba-
ronibus, Ciuitatibus, & alijs cuiuscunq; dignitatis, ordinis aut conditio-
nis fuerint. Nos Dei beneficio Ioannes Fridericus dux Saxonie, sacri
Romani imperij Archimarscallus, ac Princeps Elector, Landgrauius
Thuringie, Marchio Mysnie, ac Burggrauius Magdeburgij. Et Phi-
lippus Landgrauius Hassie, Comes in Caxenelnbogen, Dietz, Zigenham
& Nidda, unà cum alijs in syncera nostrae Christianae religionis ac fidei
causa protestantibus, & coniunctis Principibus, Statibus, & Ciuitatibus,
nostra officia, beneuolentiam, studium & obseruantiam desirimus, ac sig-
nificatum & testatum cupimus, Quod licet nos, ut uirtutis, publicae pae-
cis, ac honestatis amantissimi, non libenter quenquã summorum aut infima-
rum ordinum, uerbis aut factis grauare uellemus, tamen causae quaedã inci-
derunt, quae nobis, nostrae & communis, Germanicae nationis salutis gratia,
ad publicos motus, tumultus, bella, & alia mala declinanda ac praecauen-
da, necessitatem imponunt, iniustos, temerarios, ac suspectos processus Iu-
dicij Camerae Imperialis, quos contra quosdam nostrum ac nostrorum,
per aliquod tempus iam instituit & suscepit, in lucem edere, ac publicare,
Idq; ob eam praecipua causam, ut si (quod Deus pro sua bonitate auertat)
ex ijs aliquid infortunij, in Imperio Germanicae nationis oriretur, omnes
sciant & intelligant, eius rei culpam, nobis non adscribendam, neque illa
per nos stare, sed potius nobis summo dolori esse.

Et quoniam in hoc scripto, pro nostri necessaria excusatione, quaedam
nobis dicenda & attingenda erunt, Primum omnium publice protestatum
uolumus, Si forte inter alia mentio Caesaris Maiestatis Domini nostri cle-
mentissimi, facta fuerit, quod nos nihil contra eius Maiestatem dictum aut
intellectum, nec ullam culpam eius Maiestati adsignatam uelinus, ut que-
bus constet, quod oia ea, quae eius Maiestas, nobis, & causis nostris ius-
tissimis aduersa ediderit, ad importunã petitionem, & non sufficientem nego-
tiorum ac circumstantiarum explicationem, seu informationem nostrorum aduersa-